



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 36. De Appellatione ad Sedem Romanam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. A C. 876. *mavit, quam Literas, quæ in manibus meis sunt. Unde nec ego merebar, ut aliud Sacramentum præter promissionem meam, tamdiu & usque ad senilem ætatem a me servatum, his diebus exigeretur. Sed non est obstupescendi locus, quod officiis præfecti, quos invidia urgete impulerint, ut a me petas, quod Pater tuus toto vitæ suæ tempore a me petendum non credidit, quamvis annis ferme octo me arcanorum omnium confesum habuerit, quin imo quod nec tibi per annos triginta sex, a me exigendum esse, in mentem venit.*

§. XXXVI.

De Appellatione ad Sedem Romanam.

Seff. 3. 7. **I**n Concilio Pontigonensi bis mentio occurrat de contentione exorta, ob Presbyteros diversarum Dicecesium ad Legatos Papæ appellantes, & conjectura est, inde natam fuisse causam scribendi Epistolam, quam Hincmarus ad Papam nomine Imperatoris contra appellationem ad Sedem Romanam jam tunc plus iusto frequentes dedit.

*Opusc. 47.
to. 2. p. 768.*

In ea Epistola queritur Imperator, quod ex eo tempore, quo inter se & nepotem suum Ludovicum Imperatorem orta fuissent dissidia, Presbyteri citra alpes, ab Episcopis suis canonicè condemnati, ceperint

perint Romam pergere, sine Episcoporum suorum vel Metropolitanarum literis, & Rescripta contra Canones subreptitæ obtinuerint. Originem Appellationum ad Papam repetit, nempe Concilium Sardicense, quod Appellationis beneficium solis Episcopis concedit, & causas in ipsis locis ubi oriuntur judicari præcipit. Presbyteros vero vel Clericos inferiores alibi quam coram Episcopis suis, qui consilio Clericorum suorum adjuti judicium ferant, accusari Canones vetant, & si ab Episcoporum Judicio appellare voluerint, ad Episcopos vicinos, secundum Decreta Conciliorum Nicensi & Sardicensis, nempe ad Concilium provinciale, cui Metropolita præest, se convertant. Concilium Carthaginense præcipit, ut Judicium semper in ipsis locis exerceatur, ne difficile fiat testes producere. Quare Canones Africæ causas trans mare deferri prohibebant; *Possumus autem, dicit Epistola, ob æqualem rationem nos citra-alpini cum Africanis conferri. Cum enim Episcopi citra-alpini, propter quemlibet Presbyterum a se damnatum, Acta Judicii & testes necessarios Romam mittere nequeant, unusquisque noxiorum Clericorum, se esse insontem impudenter affirmare poterit, ubi nemo est, qui ipsum convincat.*

Sæculum IX.
A. C. 876.

§. II.

Sæculum IX.

A. C. 876.

Unde cognoscimus, quam sapienter Auctores Canonum decreverint, ut omnes causæ in ipsis locis finirentur, & quantum contra Canones pugnet, compellere Episcopos ad profectionem Romanam usque suscipiendam, ut ibi sua iudicia defendant.

§. XXXVII.

Absolutio per Epistolam.

Cum Hildeboldus Episcopus Sueffionensis, qui Concilio Pontigonensi interfuerat, gravi morbo decumbens confessionem suam scriptam Hincmaro Metropolitæ suo misisset, is satisfactorum se credidit, si in tota Diœcesi Remensis preces pro ægrotante recitari præcipere; sed Hildeboldus receptam iterum confessionem Hincmaro secundo mitens, deferente Presbytero, petit literas absolutionis. Grata fuit Hincmaro hæc devotio; quare, data ad Episcopum Sueffionensem Epistola, dilaudat Sacerdotalem potestatem dimittendi peccata & absolutionem generalem formula precatoria impertitur. Tum addit: *Cum ipse infirmo corpore ad te invisere non possim, spiritu accedam, rogoque fratres nostros Presbyteros, ut tibi faciant, quod ego, si adessem, facerem. Mitto tibi etiam per hunc Presbyterum Oleum,* (*)

Hincm opus.
40. to. 2.
p. 686.

(*) Probatur usus Sacramenti extreme unctionis contra Protestantes.